



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

Procli Sanctae Memoriae A Tomo ad Armenios scripto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

ANNO CHRISTI 553  
 codicibus sanctæ memoriæ Proclo ab Armeniis, quorum multa in antelatis continentur. Ad tales igitur libellos Armeniorum rescribens sanctæ memoriæ Proclus, inter alia dogmata, de Theodoro & eius impietate dicit.

PROCLI SANCTÆ MEMORIÆ A TOMO  
 ad Armenios scripto.

FUGIAMVS turbulentos & cœnosos fallaciæ riuos, se-  
 ctas Deum impugnantes: dico Arii furorem diuiden-  
 tem indiuiduam trinitatem, Eunomii audaciam circum-  
 cludentem scientia incomprehensibilem naturam, Mace-  
 donii rabiem separantem a deitate inseparabiliter procedentem Spiritum, & nouam istam & recentem blasphemiam, quæ Iudæorum multo amplius blasphemiam superat. Nam illi quidem cum qui est Filius, denegant, fraudantes ramo radicem: isti vero ei qui est, alterum introducunt, detrahentes sinceram naturam, utpote multa generantem. Dicamus ergo cum Paulo: *Christus est pax nostra, qui fecit utraque vnum.* Nam Iudæum & paganum per baptismum in vnum nouum creauit hominem, virtute veniens conuersatione distantia. Terreantur condemnatione nouæ impietatis inuentores: siquidem ea quæ distant, in consonantiam vnita sunt: qui autem vniuit, in dualitatem, quantum ad ipsos, diuisus est.

Habetur integer Gr. & Lat. in tomo 6. Concil. post Conc. Ephesinâ.

Ephes. 2.

*Idem sanctus Proclus in eodem tomo ad Armenios scripto, aduersus eundem impium Theodorum.*

Ista autem ad vestram direximus caritatem, ex vestris inuitati libellis, quos ad nos transmisistis, dicentes quosdam pestiferos & monstriloquos homines inuasisse provinciam vestram, volentes per malitiosa conscripta & obiectiones falsæ scientiæ, peruertere simplicem & sine machinatione orthodoxæ fidei pulcritudinem. Sed quæ sunt beati Pauli, iterum dico vobis: *Videte ne quis sit qui vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem vani consilii hominum, & non secundum Christum. Fundamentum enim aliud ponere nemo potest præter positum, quod est Christus Iesus.*

Colos. 2.

1. Cor. 3.